



**Rector Universitatis Rostochiensis Johannes Quistorpius D. & Theol. Facult.
Senior. Ad Exequias Quas ... Dn. Wilhelmo a Calhein dicto Lohausen/ Generali
Maiori & apud Rostochienses Commendantı militiae supremo, Vidua moestißima
In templo Mariano, ad horam Tertiam, paratas cupit, Omnes Academiae cives
amanter invitat**

Rostochii: Kilius, 1640

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn747412332>

Druck Freier  Zugang





19. 11. 1874

2

RECTOR
Universitatis Rostochiensis
JOHANNES QVISTOR-
PIUS D. & Theol. Facult.

Senior.

AD
EXEQVIAS

Quas

GENEROSO ac NOBILISSIMO
HEROI

DN. WILHELMO

à Calchein dicto Bohausen /

Generali Majori & apud

Rostochiensis Commen-

danti militiæ supremo,

Vidua mestissima

In templo Mariano, ad horam Ter-

tiam, paratas cupit,


Omnes Academia civēs amanter invitāt.

XX

ROSTOCHII,

Typis NICOLAI KILII, Acad. Typogr.

ANNŌ M. DC. XL.



RECTOR

Universitatis Rostochiensis

JOHANNES QUISTORPIUS D.
& Theol. Facult. Senior.



Uanquam improvidum
vulgus, & insanientis sapientiae
consulti, qui temerè omnia fieri,
& cœco casu cuncta ferri censent,
perinde habent, si quis magnae
prudential, diligentis circumspeditionis, sum-
mae autoritatis vir rebus humanis eximatur,
nihilq; hoc, vel se, vel Rempub. attinere censet:
Qui tamen providam supremi numinis rerum
humanarum curam, & Rerum publicarum sa-
lutem, penitius considerat, tantorum virorum
obitus, inter divinae irae signa, & imminentis
ruinae, aut magnorum malorum praesagia refer-
re non dubitant. Quemadmodum fulcris do-
mus subtractis, aedificij ruinam metuimus; Ita
sublatis illis, quibus regna, provinciae, urbes
innitebantur, corrutur illa quae ipsi sustine-
bant, non levis aut vanus metus est. Quum
duae aquilae, quae Bruti & Cæsij, ultima pro li-
ber-

bertate recuperanda molientium, copias Sardibus egressas, perpetuo fuerant comitatae, die una ante illam pugnam, qua de Romanae Reipublicae, & totius ferè orbis servitio de pugnatum est, insperato agmen desererent, libertatis jacturam, quod & evenit, prudentiores praesignificari autumati sunt: quidni & nos, si illi viri qui prudenti & sedula circumspeditione, omnes casus notarunt, & quantum in se fuit averterunt, à nobis discedere cernimus, insignes imminere mutationes & pericula vehementia censeamus? Cum omnium temporum historiae fidem huic rei fecerint, & experientia faciat. Faxit summus ille rerum omnium moderator Deus, ne & nobis simile quid praefagiat Generosi ac Nobilissimi Herois, Dn. WILHELMI à Kalcheins / nominati Lohausij obitus, cujus prudenti consilio, circumspectae sollicitudini, rerum militarium scientiae & suadae eximiae multum haec, ab omnimoda ruina praeservata, debet civitas. Heros hic, ut quemadmodum fert consuetudo, paginis his breviter ejus genus & vitam exponamus, à majoribus descendit splendidissimis. quamvis, si absq, his fuisset, ipse virtutibus suis generi laudatissimum initium dare potuisset. *Patrem* habuit nobilissimum ac strenuum Dn.

HINRICUM à Kalchein / dictum Lohausen /
hæreditarium in Lohausen & Lauffenburg.
Matrem Nobilissimam, & omnium virtutum
matronalium decore conspicuam, CHRI-
STINAM von Egern / ex domo & familia
Diesdung. Parentibus his, post DEUM vitæ
initia debet: ex quibus in aula Lohausen in Du-
catu Bergensi sita, Anno 1584. feria tertia post
Esto mihi, seu die cinerum natus, Paternum
juxta ac maternum genus longo ordine nobi-
lissimi majores ornant. *Avus paternus*, LU-
DOLPHUS à Kalchein dictus Lohausen in
Lohausen & Lauffenberg hæreditarius, *Avia*
paterna fuit ex nobili prosapia Widdersteinio-
rum, de domo Widderingen in Westerswald.
Avus maternus N. von Egern ex domo & fa-
milia Diesdung. *Avia materna* N. von Zugen-
hoffen ex domo Budberg. Nobilitat genus no-
stri emortui, longo ordine majores. *Paternum*
quidem die von Eufft / die von Raedt / die von
Lauffenberg / die von Mörshöffen / die von
Stahl / die von Mellert. *Maternum* die
von Bichelstein / die von Mangelmann / die von
der Douck / die von Barl / die von Hissfeld / die
von Eyl. Majoribus his genere & virtute nobi-
libus, Emortuus Dn. Generalis Major genus
suum debet, à quibus tantum abest, ut declina-
rit.

rit, ut & magnum generi virtute sua decus ad-
diderit. In lucem hanc editum filium suum pa-
rentes Christo per Baptismum inseri, & post fi-
delissimè educandū curarunt. Qui cum felicis
esset ingenij, & facile breviq; tempore eos in
studiis & exercitiis quæ nobilitatem ornant,
progressus fecit, ut dignus habitus fuerit, quem
sedecim annos natum, Illustrissimus & celsissi-
mus Princeps ac Dns. Dns. Palatinus Biponti-
nus in famulitium admitteret, filiis ministrum
daret, juxta cum illis in linguis, artibus, scien-
tiis informari, & cum iisdem in Galliam per-
gentibus eo ire voluerit. Et postquam cum Il-
lustrissimis filiis patri Celsissimo redditis Bipo-
ntum rediisset, ritibus ordinis equestris usitatis
privilegium gladio se defendendi adeptus est.
Quia autem & ad rem militarem propendebat,
ad illam animum applicans, initio in Un-
gariâ perrexit, & in arce Eperi triennali obsidione
à Turcis oppugnata, strenui non solum militis
officio functus est, sed & quando vacatio à la-
boribus militaribus dabatur, seriâ linguæ lati-
næ plenius addiscendæ impendit operam: Idq;
effecit, ut illius non solū callentissimus redde-
retur, sed & cum disertis de palma concertarit.
Ex Ungaria ad Bipontinam aulam rediit, & gra-
tissimus hospes, cubicularii, Celsissimi digni-

tate donatus fuit: legationes aliquot cum laude, & inter eas unam ad Illustrissimam Anthonettā ducatus Guliacensis Ducissam obiit. Bellica porro in Ungaria coepta studia urfit, Vexillifer initio, statim post Locumtenens sub auspiciis Sereniss, Elect, Brandenburgici, JOHANNIS SIGISMUNDI, exercitū moderante Duce Krachten/AOIOIO. militavit: strenue ille quidem, sed cum jactura dextri pedis in obsidione Guliaci: quā Sereniss, Elector promissione eximii salarii aliquo modo refarcivit, Pede hoc nostro Emortuus privatus, quantisper dolores illū non permitterent in castris vivere, non torpuit otio, sed totus in Mathematicis & Fortificationibus fuit, Usque ad annū 1614. quo ab Illustriss. Duce Brunsvicensi ERIDERICO ULRICO p. t. Capitaneus constitutus: Et quia Serenissimo Electori Brandeburgico, ejus virtus & industria ante perspecta fuit, ab eo Berlinum evocatus, in aula Electorali continuo ad annum usq; 1619. substitit, & sibi commissas legationes Electorales bene multas præclare expedit. Ex aula hac, consentiente serenissimo Electore, à Principibus & Ordinibus Silesiæ evocatus, supremus Locumtenēs pedestri exercitui præfuit, In Silesia dum subsistit, & egregie sibi commissam Provinciam ornat, Cellissimus
Prin:

Princeps HANS GEORG Marchio Brandenburgeris &c. eum ad altiores dignitates subvexit, & Generalem tormentorum Præfectum constituit. Hinc ad aulam Illustrissimi Dni, Dni, ANTONII GUNTHERI, Comitis in Oldenburg & Delmenhorst advocatus, summi militiæ Præfecti, Consilarii à secretis, & Vice-Comitis titulos impetravit. Inde Anno 1625, ad Serenissimum & Potentissimum Daniæ, Norvegiæ &c. Regem CHRISTIANUM QVARTUM transiit, & dum Consilarii à secretis, Commissarii, Generalis vigiliarum præfecti munere fungeretur, in prælio ad Lutteram captivus à Cæsareis Bockenheimiam abducitur. Detentus in custodia, non turpi segnit otio, sed tum plurima quæ nondum viderunt lucem conscripsit, tum insignem Historicum Salustium ex Latino in Germanicum sermonem transtulit. Exiens ex custodia, statim celeberrima urbs Brema eum summum militiæ Præfectum expetiit, nec expetiit saltem, sed & per biennium, & quod excurrit, habuit. Quamvis autem ante hac ad matrimonium transire nunquam animum induxerat: Factum tamen est, ita divino disponente numine, ut Nobilissimi ac strenui Dni, CHRISTOPHORI von Stralendorff in Gameel Hæreditarij

ditarii filiam, MAGDALENAM von Stra-
lendorff/ foeminam nobilissimam, ac virtutum
muliebrum decore insignem, quæ ante nuptū
data fuerat Nobiliss. ac strenuo Dn. AREND
von Steding / tum viduam ambiret & ex-
ambiret, quæ cum connubiale factum An-
no 1629. decimo die Novembris Bremæ ce-
lebravit. Conjugium hoc ut sine prole, ita
svave & concors fuit, in quo unum velle &
nolle conjugum, donec illud solvit vitæ &
mortis arbiter. Vix dum conjugium hoc in-
gressus erat, en Illustrissimus Reverendissimus
Celsissimus Princeps ac Dn. Dn. ADOLPHUS
FRIDERICUS &c. Dn. noster clementis-
simus, eum sibi à Consiliis secretis, Bellicis, &
exercitus pedestris summum ducem esse Anno
1630. voluit Quo eodem ferme tempore Se-
renissimus & Potentissimus Suecorum Gotho-
rum &c. Rex GUSTAVUS ADOLPHUS
eum inter hos, quos habuit à secretis bellicis,
& supremos militiæ pedestris Præfectos, nu-
merare coepit, & Wismariæ superatæ, nec huic
solum, sed & toti exercitui in inferiori Saxo-
nia subsistenti, urbiq; Magdeburgensi supre-
mum commendantem dedit. Quam ille Pro-
vinciam dum summa prudentia ornat, legatus
sæpissime ad Electores, Principes, Proceres
Ger,

Germania missus est. In hac dum statione ver-
satur, consentientibus illis quibus se addixe-
rat, Illustrissimo Reverendissimo Celsissimo
Principi ac Domino, Dno. ADOLPHO
FRIDERICO, Duci Megapolitano, Prin-
cipi vetustæ gentis Henetæ, Comiti, Swerinē-
si terrarum Rostochiæ & Stargardiæ Dno Dno
nostro clementissimo totum se devovit, & à
Consiliis secretis & Bellicis fuit, præsidio mi-
litari quod est in hac urbe Rostochio præfuit, &
Commendans rexit. Experti hic re ipsa sumus,
qui hanc civitatem incolimus, quanta fuerit
Dni. Commendantis prudentia, circumspè-
ctio, industria, & in rebus difficilimis mode-
randis felicitas, ut civitas hæc, post Deum,
ipsi ferme soli, suam qualem qualem qua ad-
huc fruitur acceptam ferat conditionem. Proh
quanta ille arte sciebat utrumq; Cæsarianum
& Suecicum exercitum non procul ab hac ci-
vitate castra metantem, milites ingrediuntis &
exeuntes tractare, ut utriusq; favorem impe-
trarit. Quoniam autem Heros hic, non saltem
rei militaris, sed & linguarum Latinæ, Hispa-
nicæ, Gallicæ, Italicæ erat callentissimus: Hi-
storica, Geographica, Chronologica, philolo-
gica, Politica, Mathematica studia ita imbibe-
rat, ut vel exercitatissimo dubiam palmã facere
h
posset

posset, sapius illum doctorum mistum coetui
cum admiratione, super his differentem audi-
vimus. Factum hinc ut omnium ordinum sibi
favorem & amorem conciliarit. Præsidium
cui apud nos præerat, quoties singulis diebus
ad vigilias exhibat, ad fores Dn. Commendantis
in publico foro clara voce in genua provolu-
tum preces recitare, & inde ad vallum pergere,
ipsum cum suis domesticis singulis diebus ad
conciones sacras pergentem vidimus. Nec so-
lum publicæ hæc devotionis suæ dedit indicia:
sed & privatim iserat, qui publice fuit. Nun-
quam lecto surrexit, quin cum conjuge sua (va-
rissima nunc vidua moestissima, horam inte-
gram precando consumpsisset. Lecto surgens
interim dum se induit, in genua provolutum,
clara voce preces matutinas, decem præcepta,
Psalms aliquot recitantem famulum audi-
vit: vestibus indutus, famulis, famulabusq;
omnibus in suum coclave convocatis, ipse illis
preces prævit. Deo præpotenti, omnes in Ec-
clesiastico, politico ordine viventes, Cæsaream
Majestatem, Reges, Electores, Principes, & in-
ter eos cum primis Dnm. nostrum Clementissi-
mum, Imperij status ac ordines, militiæ Præ-
fectos supremos, medios, infimos, hanc suæ
fidei,

fidei conceditam civitatem, ejus incolas, se-
suamq; domum, devotis precibus commisit.
Ut autem lecto surgens hoc fecit mane, ita cu-
bitum concedens eadem hæc vesperi repetiit.
Considerate vos qui magnam sæpe sancti-
moniam externis gestibus, & multo sermone
jactatis, viri hujus militaris, disciplinam dome-
sticam, & cum vestra committite, nullus dubi-
to, nisi vobis adblandiri volueritis, quin fassuri
sitis, ab eo vos superari. Quem validum ac sa-
num observasse diximus in precibus domesti-
cis morem, eum & à morbo correptus & lecto
per integras sedecim septimanas afflixus, reti-
nuit. Et præterea toto morbi tempore, qui
omnem Medicorum solertissimorū scientiam
& sollicitudinem superavit, totum se librorum
Biblicorum lectioni, & piarum precum recita-
tationi mancipavit. Donec atq; illi, qui cla-
ves vitæ & mortis habet, visum fuit, eum hinc
trigesimo die Januarij, intra decimam &
undecimam matutinam, cum annum ætatis
ageret quinquagesimum sextum, avocare, qua
postquā clara voce inclamasset, Domine Jesu
in manus tuas commendo Spiritum meum,
rebus hisce mundanis, placide obdormiens
excessit.

Vos

Vos qui hanc Civitatem incolitis, in-
gemiscite, fulcrum validissimum subtra-
ctum est, DEUM serio rogate, ille supremam
nostri curam gerat, & hujus emortui Herois
meritorum perpetuo gratam circumferte me-
moriam, debetis id bene de vobis omnibus
merito. Vos qui Academiae cives estis, omnes
docentes discentes funeris eductioni ut hora
tertia pomeridiana interfitis serio mo-

neo & hortor, Rostochii P. P.

15. Aprilis Anno 1640.



1700

Grundtke

1700 1800


Grundtke

1700

Grundtke

Mortem cum Codro spernit qui Martius her
Nam Mars pro meritis digna trophæa
Inclitus in magno quis erit si Palladis arce
Socrate cum magno morte perire volet
Lauriger ille suos mactat mox laudibus equis
Post mortem primò digna brabæa refert.
Quis TE, pro meritis sat dignè Magne LOHUS
Laudabit, carus Martis & Artis amor.
Pone trophæa TUO Kalsheim | Mars inclyte, p
Laurum concedat Phæbus Apollo SUO
Tam gènerosum animum lachrymis deflere Cha
Legibus inhibuit, Gloria TE decoret.

F.
Fran



Magne Heros, si quis fueris, dum vit
Mente mea reputo, tacitisq; exami
Quid prohibet, tua quin torrenti facta tu
Astimilem vitæ cursum? non ille moratur
Nec vastos scopulos, nec saxa objecta ru
Velle quidem visa est fortuna relinquere
Queis Tua se virtus, famâ celebrante, fe
Nec tamen obinuit. Tu contra fortior il
Clade ipsâ major. Nunc non indignus
In patrium rursus migras, Dux inclute co
Hic Tibi promerita cingantur tempora

Caspe
Str

